

05

A

311





100.
7
Exercitationum Politica-
rum, nobiliores controver-
sias expendentium,

SEPTIMA

Quam

D. O. M. A.

*In celeberrimâ Electorali ad Albim
Academia*

P R Æ S I D E

M. JOHANNNE OLEARIO

Hallens. Sax. Ampliss. Facult. Philo-
soph. Adjuncto

Publicè ventilandam proponit

CHRISTOPHORUS NICHTEVVITZ,

Dresd. El. Sax. Alumn.,

*In Auditorio Minori, ad diem 23. Julii
horis antemerid.*



WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI Siegel.

Anno MDCXXXVI.

EXERCITATIONUM POLITICARUM

PRIMUM, NOBILIORES CONTRA

SEPTEMA

Quam

D. O. M. A.

In celeberrima Electorali ad Albinam

Academia

PRAESIDE

M. JOHANNIS OLEARIO

Hallensi Sax. Amplis. Facult. Philo.

lophi. Adhuc

Publice de ...

CHRISTOPHORUS NICHTEVITZ

Diedl. El. Sax. Alumn.

In Auditorio ...

...

WITTEBERG

Typis Johannis Christophori ...

Anno MDCCLXXVI



101

QUÆSTIO I.

An obscura natiuitas impediatur
Magistratum?

Sensus quæstionis est: An illi, qui obscuro loco nati sunt, eligi debeant, & assumi ad dignitatem Magistratus? Negatur à multis. I. propter naturæ consensum. Nam fortes creantur fortibus & bonis, est in iuuenis est in equis patrum virtus, nec imbellem feroces progenerant aquilæ columbam, juxta *Horatium*. Confer *Aristot. lib. 8. Polit. cap. 7.* ubi dicit: εἰκὸς βελτίους εἶναι τὰς ἐκ βελτιόων. II. propter consequens periculum. Etenim asperius nihil est humili cum surgit in altum; & plerumque impotenter se gerunt tales, pristinae conditionis immemores. III. propter familiarum detrimentum: Harum enim distinctio insigne est Reipubl. ornamentum ac munimentum: quod omnino perit, si plebeijs aditus pateat ad officium Magistratus. &c

¶ Verum non obstantibus hisce, asserimus; Generis dignitatem in electione nullatenus quidem esse posthabendam, ac proinde, quando duo vel plures adsunt, sufficientibus requisitis instructi, non immerito præferendum esse eum, cujus virtuti generis quoque accedit dignitas. [bonum enim bono additum illud ipsum reddit præstantius, juxta *Aristot. lib. 3. Top. cap. 1. 2. 3.*] Interim tamen, quia virtus primum & præcipuum est in Magistratu requisitum, adeoque & in electione vel maximè respiciendum, generis conditionem à Magistratu ullum de jure excludere nec posse, nec debere. Quod quia per se planum, non opus est, ut vel rationibus vel etiam exemplis tam sacris quam profanis probetur: quippe quod à *Schönborn.*

lib. 2. & aliis factum. Argumenta verò opposita unicâ distinctio-
ne si inter rei naturam & accidentariam, malitiam de facto, in-
terdum, non verò semper & infallibiliter accedente, distin-
guatur.

QUÆSTIO II.

*An patriæ consortium in Magistratu ma-
gnificandum, & ita quidem, ut planè excludantur
peregrini?*

*Non desunt qui negant. Siquidem I. hoc suadet commodum. Admissis etenim peregrinis & extenis perniciosissimum tollitur inter cives æmulationis studium, discordiarum, seditio-
num, & Rerum publ. everfionum seminarium pestilentissimum. II. propter Reipubl. incrementum. Adjunctâ enim externi alicujus principis virtute atque potentiâ, multum proficere potest Res-
publica. III. ob experientiæ Calculum, quæ docet, virtutem uti generi, ita & patriæ aut loco nequaquam esse alligatam Unde nota sunt verba Claudii Imperatoris in Senatu hac de re differen-
tis, addito hoc Epiphonemate: *Etiâ extranei, modo sint fidi, Prudentes, Reipubl. utiles, possunt, imò debent ad Reipubl. gubernacula admitti. IV. ob exemplorum cumulum de quibus Schönbornerus. lib. dict. V. ob sapientissimorum virorum consensum. Videatur Alciatus de præsumptionibus Reg. 1. Præf. 33. Ubi Originarios exteris præferendos dicit in rebus ipsius civitatis administrandis, & quæ ad ejus curam spectant, sed in jurisdictione exteros esse præferendos, ne scilicet Originarii quippiam ex gratiâ & favore amicorum, & utilitate rerum, quas ibi possident, agant. Ad datur Emericus à Rosbach in prot. Jud. Tit. 7. num. 16. qui hanc rationem habet, quod is, qui jurisdictionem & Magistratum gerit, ab hominibus suspici, æstimari, & magni præ aliis haberi debeat: In patriâ verò, ubi concivibus familiaris vel amicus quis est, rarò hoc fieri solet. Unde inclinât ad partes peregrinorum.**

*Verum quanquam hac suo loco relinquere possimus, asserimus tamen, posse quidem incidere tempus ejusmodi aliquando, ut extraordi-
nariè*

ordinariè eligendus sit peregrinus ob urgentem Reipub. calamitatem, & extremè periclitantem incolumitatem. [v. g. quando inter indigenas non satis reperiuntur habiles, sufficienti instructi potentia ad resistendum peregrino potentiori. Item quando metuenta civium seditio, &c.] Interim manet nihilominus, ordinariè ac regulariter indigenas præferendos esse in electione Magistratus exteris atque peregrinis. Quod probare superfluum est, quia illud ipsum abundantissimè præstitit Heiderus in Pol. Schönborn. Tolosanus lib. 7. de Repub. cap. 4. Bodinus l. 6. de Repub. c. 5. Adde Schleidanum l. 1. Commen. ad An. 1519. qui memorat, inter leges & conditiones, in quas juravit Carolus V. fuisse & istam, quòd negotiis publicis præficere velit non exteros, verum Germanos ex nobilitate delectos. vid. & Patritius l. 3. de institut. Reip. tit. 2. & Althusius c. 15. Pol. p. 180. Ex quibus conciliatio Rationum antea productarum cum thesi nostrâ est facillima.

QUÆSTIO III.

An Sexus virilis adeò strictè in Magistratu attendendus, ut nullo modo fœminæ imperium committere liceat?

Affirmativam suadet I. DEI ordinantis autoritas, qui virum fœminæ præesse voluit, non vice versa.

II. Naturæ dignitas, quæ major in Viro quam in fœminâ. Unde Aristot. 1. Polit. c. 8. dicit: quicquid masculum est, naturâ magis factum ad imperandum, quam quod fœmineum est. Imò, ut testatur Plinius libr. 4. cap. 3. hoc ipso naturæ instinctu ita vivunt, homines ut mares fœminis imperent.

III. Honestas. Cum enim fœmina nec possit docere, nec testis esse, nec judicare, quomodo poterit imperare? vid. Augustin. in Q. Q. V. T. Q. 55.

IV. Requisitorum varietas, quæ non nisi in viros cadunt. Deest enim illis (1.) Prudentia, unde Chrysostomus Homil. 13. in Matth. Mollis & incautus est hic Sexus. Item Cicero pro Cluent. Abundat mulier audacia, consilio & ratione destituitur. Deest illis (2.) Constantia. Recte enim Virgilius: Varium & mutabile semper

foemina. Et Propertius: In sola levitate & inconstantia constantissima est, nec ulla diu foemina pondus habet. Deest (3.) animi & corporis robur. Unde illa fatetur apud Senecam in Octav. Ille conditor nostri Deus, pectus nobis instruxit dolis, sed vim negavit. Imò si adest fortitudo, nunquam est sine periculo subditorum. vid Tholos. lib. 47. cap. 11. Deest (4.) Taciturnitas. Unde Rabini dicunt nihil arcani esse in mulieribus. Et illa apud Plaut. in Aulul. Act. 2. fatetur; Loquaculæ omnes sumus, nec mutam repertam esse dicunt unam ullo in Seculo. Deest (5.) Celeritas in conficiendis negotiis. Hinc Plaut. in Milit. quævis alia quæ mora est æque mora minor eâ videtur, quam quæ per mulierem est. Deest (6.) animi moderatio: Aequalis etenim leonæ & mulieris est crudelitas juxta, Menandr. Nam quoties facit ira nocentem hunc sexum, & rabie jecur incendente feruntur præcipites, ut saxa jugis abrupta quibus mons subtrahitur, clivoque latus pendente recedit.

V. Gynæcocratie perpetuitas. Aut enim conjugio jungitur illa mulier, aut per se imperat. Si illud, Gynæcocratia manet, quia illa jura Magistratus retinet: si hoc, pristina manet ignominia. Vid Bodin. libr 6. de Repub. cap. 5.

VI. Exemplorum autoritas. Vid, Hottoman. l. 1. de Antiq. Jur. Reg. cap. 23. ubi inter L. L. fundamentales Regni Gallici etiam hanc recenset: Ne virgo, neve mulier ad regni hereditatem admittatur, sed agnatus defuncto Regi proximus, quamvis gradu femina posterior, ei tamen præferatur. Quæ ipsa est lex Salica. Conferatur Comineus lib. 8. & Mercurius Gallo-Belgicus libr. 8. pag. 159. Ubi memorat, quod in consultationibus de eligendo Rege novo prætulerint Navarreum, filia Regis Philippi Hispaniæ.

VI. Regiminis hujus atrocitas. Ex Sacris constat de exemplo Athaliæ: ex profanis verò de Cleopatrá, Tomyri &c.

Pro Negativâ verò adducitur passim I. Scripturæ autoritas, de Deborah &c. II. exemplorum varietas foeminarum optimè imperantium. vid Tiraquellus de leg. Conn. lib. 11. num. 2. Dinorhus lib. 7. de rebus memorabil. Tolos. lib. de Republ. cap. 11. Junius in quest. Polit. Schönborn. lib. 2. cap. 12. Justin lib. 2. Hist. Arrianus lib. 6. de Reb. gestis Alex. III. Naturæ liberalitas, quæ propter sexum.

160

Virtutem non excludit. Unde Plato libr. 3. de Repub. dicit: *Vir-
tutum omnium capax est foemina, quarum capax est mas ipse. Imo,
foeminae non desunt virili prudentia sexum suum transcendentes.*
Vid. Tacit. lib. 6. Annal. & de moribus Germ. cap. 3. Unde non de-
esse iis 1. Fortitudinem, 2. Sapientiam, 3. Calliditatem & Prudenti-
am prolixè probat Schönborn. l. d. Addatur Zwing. vol. 3. Theat. vitæ
hum. lib. 4. fol. 250. Et cuiusmodi ignotum esse potest exemplum
Elisabethæ, Angliæ Reginae laudatissimæ, quæ, ut memorat. Po-
velus in tract. de AntiChristo pag. 256. per 45. annos integros regna-
vit felicissimè, licet accerrimè ex communicata sit, & subditi iura-
mèto soluti per IX. Pontifices, videlicet per Paulum IV. Pium IV. & V.
Gregorium XIII. Sixtum V. Urbanum VII. Gregorium XIV. In-
nocentium IX & Clement. VIII. Plura hæc de re vid. apud Schönb.
l. d. Richt. in Axiom. Oeconom. pag. 301. seqq. Casum in Sphæ. Civ.
Daniel. Otto de jure publico., pag. 112. Heider. Pol. p. 108.

Hisce ergo ex utràque parte consideratis asserimus, præ-
suppositâ distinctione, 1. inter Regnum Electivum & successivum: 2.
inter electionem liberam & ad certam familiam restrictam: 3.
inter exempla foeminarum Heroicarum extraordinaria, & com-
munia: 4. inter foeminam legitimis mediis regno jam præfectam,
& præficiendam. Hisce, inquam, præsuppositis asserimus, in
Regno successivo potiss. ubi leges fundamentales, vel etiam consue-
tudo publicè recepta & continuata imperium foeminis per successionem
concedit, posse eandem gubernationi rerum præfici: cum jure etiam
civili foemina pari jure ad successionem vocetur, sublato veteri inter ma-
sculos & foeminas quo ad successionem discrimine. Confer. §. 15. Instit.
de hæred. quæ ab Intest.

Quod ipsum quia ab autoribus supra enumeratis suffici-
enter est probatum, nec non ad rationes dubitandi responsum, non
opus est ut quicquam addamus.

QUÆSTIO IV.

An juvenis præficiendus sit Reipublicæ?

Affirmativam suadet 1. *Naturæ benignitas, quæ & huic æ-
tati ejusmodi nonnunquam concedit dona, quæ & in Senibus*

NON

non inveniuntur. 2. Exemplorum copia & varietas, quæ tam
Sacra quam profana magno numero recensentur à Politicis, &
à Cicerone etiam non pauca accumulatur Philip, 5. ubi inter
alia dicit, quis nescit Scipionem imberbem, quis Octavium adole-
scentem, quis Pompejum illum Magnum, quis Corvinum, aliosque
qui ob celerem prudentiæ maturitatem, non expectato iusto, legibus-
que præscripto termino consulatus fastigium cum laude ingressi sunt?
vid. Alex ab Alex. libr. 3. Gen. dier. cap. 3. 3. Sapientissimorum
auctoritas. Ita enim Cicero l. d. ab excellenti eximiâque virtute
progressus ætatis non oportet expectari. Et Plinius in Ep. Ab
optimâ indole non exigitur annorum numerus. Item Valeria-
nus apud Vopiscum; In eo non est expectanda ætas, qui & virtu-
tibus fulgeat, & moribus polleat. Item Cic. in Catone Maj. con-
cedit; ut senes quidam semper pueri sunt, Ita quosdam esse
pueros, in quibus aliquid senile. Multi enim antiquorum tem-
pora prævenerunt meritis, & quod ætati deest, virtute com-
pensant. Unde rectissimè Ovidius de Tiberio dicit: Parcite natales
timidi numerare Deorum, Principibus virtus contigit ante
diem. Ingenium coeleste suis velocius annis surgit, & ignavæ
fert mala damna moræ.

Verum non obstantibus hisce asserimus [præsuppositâ inter electi-
onem & successione distinctione] Juveni ætatem virtutibus supplem-
ti, non quidem denegandum esse imperium, concedimus tamen pleraque
qua contra Gynæocratiam quæst. anteced. producta sunt, etiam hic
indistincte juvenum quorumvis electioni opponi posse. Quæ verò in-
contrarium opponi possent ex Aristot. libr. 1. Ethic. cap. 3. Item
de requisitorum (Prudentiæ, Sapientiæ, Experimentiæ &c.) de-
fectu &c. nec non exempla tam Sacra quam profana, illa omnia
facile concidunt, si dicamus, Thesin nostram nequaquam intelligen-
dam esse de Juvene quovis, sed de adultiori; nec de eo qui moribus
juvenis est, sed qui solam talis est ætate, & mento, non verò mente, cui
anni quidem sunt juveniles, nequaquam verò animus. Referan-
tur huc ea quæ ad præsens negotium spectare
possunt ex quæst. 4. Diss. 1.

QUÆST. V.

666
 QUÆSTIO V.

Num senibus committendum sit

Imperium?

Negativam suadet 1. Senectutis natura, quæ ipsa est morbus. 2. Vitiorum copia, quæ comitantur hanc ætatem, & imprimis (1.) avaritia, quæ plerumq; cum homine crescit (2.) Morositas, unde vix quicquam rectum putant, nisi quod ipsi fecerunt. (3.) Prudentiæ defectus, ob iudicii & memoriæ imbecillitatem; Unde in proverbio senes bis pueri dicuntur. (4.) Fortitudinis & roboris absentia ob morborum copiam. (5.) Exempli plurima passim obvia &c.

Verum non obstantibus hisce, asserimus, senes, & imprimis vegetiores, omninò cum summâ Reipubl. utilitate, eidem præfici & posse & debere: quod facile patet exinde, quia imperium geritur non tam corporis quam animi viribus, videlicet prudentiâ, autoritate & experienciâ; quæ in senibus, cum primis vegetioribus, maximè deprehenditur.

Unde ad Rationes contrarias, præsuppositâ distinctione inter senes vegetiores & capulares, responsio est facillima. Si etiam inter id quod semper & necessariò, & quod rarò & ex accidente nonnunquam fieri solet, distinguatur.

QUÆSTIO VI.

An robur corporis in Magistratu magnopere attendendum?

Affirmativa probari potest iis omnibus, quæ dicta sunt de pulchritudine *dispu. antecedente* 6. quòd præterea exemplo Saul commendasse videtur ipse DEUS, qui altior fuit universo populo. Sic & Naturæ consensus idem suadet. Namq; de apibus Columella testatur lib. cap. 12. quòd naturæ instinctu regem sibi deligant insignis formæ, dissimilemque & cæteris tum magnitudine, tum nitore. Conferantur exempla variorum populorum apud Alex. ab Alex. libr. 4. Gen dier. cap. 3. ubi inter alia re-

B

censet,

censet, quòd Æthiopes, quem ex populo validissimum judi-
cant, hunc regem deligendum censeant Unde & *Plinius in Pa-
neg. Trajan.* dicit etiam corporis proceritas & oris dignitas
commendat principem.

Verum non obstantibus hisce *asserimus, esse quidem & cor-
poris robur in Magistratu suâ laude dignum, nihil ominus tamen,
primariò ad mentis constitutionem, & virtutum copiam, de quibus in
disput. antec. esse respiciendum.*

Quod quia ex superioribus facile patet, facilis quoque e-
rit ex illis argumentorum contrariorum solutio

QUÆSTIO VII.

*An potentia in magistratu constituendo
requiratur?*

*Argumenta affirmantia pro hâc sententiâ desumi possunt
supra ex q. 2. ubi de peregrinis actum est. Ex cujus decisione fa-
cilè etiam patebit, quid sit asserendum. Videlicet ceteris paribus o-
mninò conducere posse Reipublicæ principis potentioris regimen.*

QUÆSTIO VIII.

*An divitiæ in magistratu attendendæ, ita
ut pauperes excludendi?*

*Argumenta in utramque partem peti possunt ex Schönb. lib.
2. Polit. cap. 4. ex Casi s^{ph.} civit. 129. Heidero Polit. pag. 365. seqq.
Petreo Polit. 384. & c.*

Verum cum & hic decisio ex superioribus pateat, suffici-
at asserere breviter, etiam divitiæ cum essentialibus requisitis Magi-
stratus conjunctas non esse contemnendas.

QUÆSTIO IX.

*An liceat petere Magistratum, & an
petenti sit concedendus?*

*Affirmativa suaderi poterat exemplo Tarquini, Regis Ro-
manorum, qui, teste Livio lib. 1. Regnum petiit, oratione habitâ,
ad conciliandos plebis animos compositâ, quem ingenti con-
sensu populus regnare jussit.*

Verum,

Verum, seposito hoc, asserimus: Petitiones ejusmodi vel modestas vel plane nullas esse debere.

Quod facile probari poterit ex iis, quæ habet Schönb. l. 2. Pol. c. 8. Unde etiam ad singula, quæ objici fortè poterant, parata erit responsio.

QUÆSTIO X.

An magistratum recusare liceat, & num invito deferendum sit illud officium?

Rationes in utramque partem videri poliunt apud Schönb. l. d. Decisio facilis est, si distinguatur, inter Personas legitime adscitas, & malis mediis sese ingerentes. 2. inter personas legitimam ætatem affectas, sufficientibusque donis instructas, & secus &c. Confer. Richt. in Axiom. Oecon. pag. 247. & Liv. libr. 7. Ubi memorat, quòd Titus Quinctius ruri procul ambitione & foro vitam agens, invitus, coactusque dux electus fuerit, qui optimè gubernavit. Unde Imperator Severus dixit, Invitos, nec ambientes esse Reipubl. præficiendos.

Ex quibus ad cognatam etiam questionem respondere erit facillimum, An nempe quidam nolentes Patriæ obsequi, ejusq; sufferre onera, jure cogi possint mulctâ, ignominia, exilio &c. quod ce. to modo affirmat Heiderus in Pol. pag. 333.

QUÆSTIO XI.

Quid sentiendum sit de successione, quæ sunt vigore pactorum familiarum, sive confraternitatis, item de Ganerbinatu?

Esse in Illustribus familiis plerumq; pacta Gentilitia, ut alterius stirpe extinctâ, ad alterum patrimonium eorum & principatus certâ successionis lege perveniat, quæ vulgò vocantur Erbverbrüderung/ oder Erbverëittigung/ & eo fine suscipiuntur, ut ex stabili successione, defensione, fide & concordia fraterna, familiarum senescentium splendor & dignitas conservetur. Easq; pactiones esse Reipubl. utiles, ostendit Nicol. Reüsn. 1. Cons. 7. n. 54. Andreas Knichen de Jure Saxon. &c. verb. Elect. cap. 52. n. 78. seqq. idq; exemplis plurimis ostendit Schönb. lib. 2. cap. 13. De Ganerbinatu

verò [in eujus vocis originatione non omnes consentiunt. 1. Quidam enim putant Ganerbios dici, quasi Gang Erben / 2. Alii à festinatione, quasi accelerantes hæredes, Gehe Erben / ad quos tanq. descendentes properet successio. 3. Quidam à communi-
 one hæredum, quasi Gemeine Erben / vid. Rittershus. 1. part. Feud. 17. qui hujus rei originem ad ea refert tempora, quibus in ar-
 mis jus positum erat, zu der zeit / da das faustrecht im schwange
 gieng. Ubi ejusmodi fraternitates certis sancitæ fuerunt legi-
 bus, quas appellabāt den Burgfrieden / Conferantur R. N. An. 1500.
 in Comitibus August. & Wormat. An. 1495. Item August. 1548. Vide-
 atur & Ordinatio Camera 1555.] idem videri potest, qui fit pactis
 & conventionibus, quibus superioris accessit confirmatio :
 pertinetq; etiam ad diversas familias, quæ jure confraternita-
 tis inter se coaluerunt : ita ut uno mortuo succedat alius ex eâ-
 dem familiâ, aut si non extet, vel nolit, portio deficientis ac-
 crescat cæteris condominis. De quibus plura videri possunt apud
 Paurmeister. lib. 2. Jurisd. cap. 8. Add. Waremundus ab Erenberg de
 Foed. c. 2. Först. de succ. l. 4. t. 24. Vult. de Feud. c. 9. Heig. l. 2. q. 23.

QUÆSTIO XII.

*Virum præstet Magistratus perpetuus, an
 verò ambulatorius ?*

*Argumenta in utramq; partem collegit Schönb. l. 1 Pol. c. 3. Verum
 conciliatio facilis est, si distinguatur 1. inter Magistratum summum
 & inferiores. 2. Inter statum Reip. Monarchicum & Polyarchicum. 3.
 Inter cives Inæquales, quorum quidam ad Regimen minus idonei, &
 æquales, pari prudentiâ & regnandi scientiâ instructos. Quibus præ-
 suppositis asserimus, respectu Magistratus summi in statu Reip. Mo-
 narchico, & inter cives inæquales præstare Magistratum perpetuum :
 Respectu a. inferiorum magistratuum in statu Reipub. Aristocratico ac
 Democratico, ubi cives sunt æquales, præstare magistratum ambulato-
 rium. Ex quibus argumenta contraria facile solvi possunt, potissi-
 mum si præter Schönb. l. d. addatur Arist. l. 2. Polit. c. 2 & l. 7. c. 14.
 Bodin. l. 4. Rep. c. 4. Junius p. 1. qq. Polit. & imprimis Excell. Dn.
 D. Jacobus Martini Polit. p. 835. Item Heid. p. 341. seqq. nec
 non Gerhardus in qq. Polit. pag. 56.*

05 A 311


ULB Halle 3
004 209 80X


Sb

1077







Exercitationum Politicarum, nobiliores controversias expendentium,

SEPTIMA

Quam

D. O. M. A.

In celeberrimâ Electorali ad Albim Academia

P R Æ S I D E

M. JOHANNNE OLEARIO

Hallens. Sax. Amplifs. Facult. Philosoph. Adjuncto

Publicè ventilandam proponit

CHRISTOPHORUS NICHTEVVITZ,

Dresd. El. Sax. Alumn.

In Auditorio Minori, ad diem 23. Julii 8^o horis antemerid.



WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI Siegel.

Anno MDCXXXVI.

